



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

103. Aliàs nos &c. Relaxatio & Revocatio suspensionis Cruciatæ Sanctæ, &  
aliarum Gratiarum pro Hispaniarum Rege Catholico.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)



cessoribusque nostris Romanis Pontificibus, & dictâ Sede in futurum forsan prohibendi, & damnandi libri, manuscripta, & opera tam hæcenus in lucem edita, quàm in posterum edenda, seu scribenda quæcumque, etiãsi ex professo, & in capite de Religione, & Fide Catholica, seu contra Religionem, & Fidem eãdem tractent, in ipsâ Bibliothecâ hæcenus collocati, & collocata, ac in posterum quancumque collocandi, & collocanda retineri, haberi, & asservari, liberè, licitè, & impunè, ac absque ullo conscientie scrupulo, & quarumcumque Ecclesiasticarum sententiarum, & censurarum, vel aliarum pœnarum, etiam irregularitatis, infamie, aut inhabilitatis incurfu possint, & valeant, ita tamen, ut libri, scripta, & opera præfata omnia, ac illa præsertim, quæ de Religione, & Fide, vel contra Religionem, & Fidem Orthodoxam tractant, seu tractabunt, in aliquo separato ejusdem Bibliothecæ loco clausi, & clausa, ac secretò, & sine cuiusquam scandalo, vel periculo sub clavi retineantur, nec à quoquam accipi possint nisi de manibus Bibliothecarii, vel Custodum nunc, & pro tempore existentium, qui illos, seu illa legendos, seu legenda nemini præbere audeant quovis modo, seu præsumant, nisi prius sibi confiterit, quod illos, seu illa petentes opportunam super eorum lectione à Sede præfata licentiam sibi concedi obtinuerint, motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus, harum serie, concedimus, & indulgemus.

Decretum irritans cum clausula subblata.

§. 3. Decernentes eãdem præsentem literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quancumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissimè suffragari, & ab iis respectivè inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam Generales Inquisitores, & de Latere Legatos, aliove quoslibet quæcumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio quibuscumque contrariis.

§. 4. Non obstantibus quibuslibet Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis & edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non prohibitionibus desuper factis, & in posterum quomodolibet faciendis. Quibus omnibus, & singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè, ac latissimè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Mandat exemplum harum literarum perpetuo affixum remanere valvis d. Bibliothecæ.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium literarum exemplum in valvis dictæ Bibliothecæ, aut alio conspicuo illius loco, ubi ab omnibus cerni, & legi possit, affixum assiduè remaneat. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die xii. Julii MDCCXX. Pontificatus nostri anno vigesimo.

F. Card. Oliverius

RELAXATIO

Et Revocatio suspensionis Cruciatæ Sanctæ, & aliarum Gratiarum pro Hispaniarum Rege Catholico.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

**A**Lias Nos Indulgentias illas, & gratias, tam spirituales, quàm temporales, quæ olim ad certum tunc expressum tempus cl. me. Philippo II., aliisque successivè Hispaniarum Regibus Catholicis, nec non omnibus, & singulis Christianidelibus in Regnis, & Dominis Hispaniarum, ac illis adjacentibus Insulis consistentibus & ad illa declinantibus, qui certa munera adimplevissent, à diversis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris sub certis modo, & forma tunc expressis concessæ, & pluries de sexennio in sexennium prorogatæ, ac deinde primò quidem à fel. rec. Urbano VII. postea verò etiam ab aliis Romanis Pontificibus pariter Prædecessoribus nostris quad licentiam vescendi ovis, & lacticiis tempore quadragesimæ pro personis Ecclesiasticis Sæcularibus tunc expressis extenæ, & ampliata; ac de sexennio in sexennium sæpius prorogata fuerant, Charissimo in Christo filio nostro Philippo V. earundem Hispaniarum Regi Catholico, & aliis Christianidelibus supradictis similiter ad sexennium à fine alterius sexennii ultimò prorogari numerandum extendimus, & prorogavimus; Concessiones itidem tam annui Subsidii quadringentorum, & viginti milium ducatorum ex Fructibus, & redditibus Ecclesiasticis univèrsarum Hispaniarum, quàm Primæ Decimæ in omnibus, & singulis Parochiis in prædictis Regnis, & Dominis, ac Insulis eisdem Regnis adjacentibus consisten. eidem Philippo II. Regi ab hac Apostolica Sede ad certum itidem tunc expressum tempus factas, ac subinde pluries tam ipsi Philippo II. quàm aliis successivè prædictarum Hispaniarum Regibus Catholicis de quinquentio in quinquentium similiter Prorogatas, ampliatas & extensas memorato Philippo V. Regi ad quinquentium tunc proximum similiter extendimus, & prorogavimus; Et nihilominus ipsas Indulgentias, & gratias tam spirituales, quàm temporales eidem Philippo V. Regi, & aliis Christianidelibus prædictis ad sexennium; Subsidium verò annuum quadringentorum, & viginti millium ducatorum, ac Primam Decimam hujusmodi ad quinquentium respectivè per diversas nostras in simili forma Brevis, nempe die viii. & die xiii. Octobris 1714. nec non binas die prima Januarii MDCCXVI. desuper expeditas literas de novo concessimus, & indulgimus; Præterea ipsi Philippo V. Regi per alias nostras in eadem forma Brevis die xiv. Martii ejusdem anni MDCCXVI. expeditas literas, assignationem omnium fructuum, & reddituum, nec non pensionum super iis reservandarum unius integri mensis omnium Cathedralium, & aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum quorumcumque Ecclesiasticorum de Jurepatronatus, sive ad nominationem ejusdem Philippi V. Regis tantum, ac in prædictis Regnis, & Insulis adjacent. existentium à memorato Urbano Prædecessore claræ itidem mem. Philippi IV. dum viveret earundem Hispaniarum Regi Catholico ad certum etiam tempus factam, & successivè ab aliis Romanis Pontificibus pariter Prædecessoribus nostris, imò etiam à Nobis prorogatam ad quinque annos tunc proximos tantum similiter prorogavimus, & extendimus, seu de novo concessimus:

Exordium ab enumeratione gratiarum ac Indulgentiarum à Sede Apostolica Regi Catholico concessorum, & prorogatorum.

Cruciatæ sanctæ.

Subsidii quadringentorum viginti millium ducatorum.

Primæ decimæ.

Assignationis unius integri mensis fructuum omnium Ecclesiarum, & Beneficiorum de Jurepatronatus Regio.



ANNO 1720.

Quæ omnia indulta Sua Sanctitas suspenderat ad suum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum.

Observationum cessatio propter quas suspensa fuerat.

Ejusmodi suspensionem relaxat, & revocatur.

Cum decreto irritanti, & clausulis constitutis.

Et derogatione quibuscumque contrariis.

Novissimè verò certis ex causis tunc expressis adducti omnes, & singulas gratias supradictas à Nobis eidem Philippo V. Regi ad sexennium, & quinquennium respectivè prorogatas, ampliatas, & extensas, seu de novo concessas, & indultas, ut præfertur, tametsi sexennium, & quinquennium hujusmodi adhuc durarent, expeditasque desuper literas nostras prædictas, nec non omnia, & singula in eis contenta ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum suspendimus, ac suspensas esse, & fore declaravimus, & aliis prout in aliis nostris desuper in simili forma Brevis die iv. Junii MDCCXVIII. expeditis literis, quarum, & cæterarum nostrarum literarum omnium prædictarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

§. 1. Cum autem rationes illæ, quæ Nos ad ejusmodi suspensionem decernendam impulerunt, jam cessaverint; Sexennium verò, ac quinquennium prædicta, ad quæ eadem gratiæ pro Nos antea extensæ, & prorogata, seu de novo concessæ fuerant, adhuc de præfenti durent, cupiatque propterea idem Philippus V. Rex eandem suspensionem à Nobis è medio tolli, ac alias in præmissis opportunè provideri, & ut infra. indulgeri; Nos ipsius Philippi Regis desiderio hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, supplicationibus ejusdem Philippi Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, suspensionem omnium memoratarum gratiarum, expeditarumque desuper literarum, ac in eis contentorum hujusmodi, ad Nos trum, & dictæ Sedis beneplacitum, sicut præmittitur, factam auctoritate Apostolicâ tenore præsentium relaxamus, & revocamus, ac ex nunc relaxatam, & revocatam fore, & esse decernimus, & declaramus. Quodque eadem gratiæ de cætero, durante, scilicet reliquo tempore sexennii, ac quinquennii respectivè, ad quod illæ à Nobis postremò prorogata, & integrum effectum sortiri possint, ac debeant, eadem auctoritate harum serie statuimus, & ordinamus.

§. 2. Decernentes pariter easdem præfentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque itidem plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, neque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut adversus illas apercitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu proprio, ac de Apostolicâ potestatis plenitudine concessio, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præfentes literas illis, ad quos spectabit in futurum in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari, sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, aliove quolibet quæcumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non

omnibus, & singulis illis, quæ in posterioribus literis nostris prædictis concessimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20. Septembris MDCCXX. Pontificatus nostri anno vigesimo.

CONSTITUTIO

CIV.

Sanctissimi D. N. Innocentii Papæ XIII. quâ assignatio loci fixi perpetui inter Auditores Rotæ Maceratenis à sa. mem. Clemente Papâ XI. factâ uni ex Civibus Civitatis Urbini, qui in illius Universitate lauream doctoralem susceperit, & Collegio Doctorum ejusdem Civitatis adscriptus sit, amplissimè confirmatur.

INNOCENTIUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Æ Quam arbitramur, & congruum, ut ea, quæ de Romani Pontificis gratiâ processerunt, licet ejus superveniente obitu literæ desuper confectæ minimè fuerint, suum debitum sortiantur effectum. Aliàs siquidem sel. rec. Clemens Papa XI. Prædecessor noster, quantâ olim studiorum, & liberalium artium laude, & quibus insignium Mirorum ingeniis, & gloria Civitas nostra, tunc sua Urbinaten., Patria ejus dilectissima floruerit, summâ cum animi sui jucunditate recolens, eâ recordatione, ac sincerâ fidei, & devotionis affectu, quem dilecti Filii Communitas, & homines dictæ Civitatis erga eundem Clementem Prædecessorem, & Sedem Apostolicam gerere comprobabantur, meritò inductas fuit, ut quemadmodum Agricola ei solo, cujus ubertatem agnoscit, culturam, & semen impendit, ita idem Clemens Prædecessor in eandem Civitatem Apostolicæ beneficentiæ suæ munera, quibus liberalium artium hujusmodi, ac præsertim legum, quas non solum ornamenta Civitatum, sed etiam præsidia esse constat, studia fovrentur, & reviviscerent, quàm libentissimè conferret.

§. 1. Accepto igitur per eundem Clementem Prædecessorem, quod dudum rec. mem. Sixtus Papa V. pariter Prædecessor noster, tunc suus, in Civitate nostra, tunc sua Maceraten. unum Tribunal Audientiæ causarum Rotam nuncupatum, quod constare deberet quinque Judicibus Auditoribus nuncupatis, ad causarum, & litium Provincialium Provinciae Marchiæ expeditionem, perpetuò erexerit, & instituerit, quatuor verò ex quinque Auditoribus hujusmodi, dum illorum officia pro tempore vacare contingit, à Romano Pontifice pro tempore existente deputandi sint; dictus Clemens Prædecessor in prædicta Civitate Urbinate, pristinum ingeniorum, & animorum ad literarum, & præsertim Legum studia vigorem, & alacritatem propositis honorum præmiis excitare, simulque perpetuum aliquod Patriæ suæ erga eam benevolentia monumentum extare cupiens, & literarum dicti Sixti Prædecessoris super erectione dicti Tribunalis emanatarum tenorem, & datam etiam veriorum, & alia quæcumque etiam specificam, & individuum mentionem, & expressionem requirementia pro plenè, & sufficienter

Fides adhibeatur transumptis.

Prozmium.

Civitas Urbini insignium Virorum gloria semper floruit.

Patria Clementis XI.

Sixtus V. Tribunal Rotæ Maceratenis instituit, quam quinque Auditoribus constituta voluit.

Electio quatuor ex ipsis Romano Pontifici pro tempore existenti reservavit.